# III. *Dias* Antrorum *mirabilis Naturæ*, glacialis *alterius*, *alterius* Halitus noxios *eructantis*, *ad* Regiam Societatem *Scientiarum* Londinenſem, *a* Matthia Belio *Pannonio*, *R. S. S. miſſa.*

## Caput I.

### *De* Antro *Glaciali* Szelicenſi.

§. I. EST, in *Carpathi* radicibus, qua ſe in meridiem, jugis dorſiſque ſenſim mitteſcentibus, ſinuant, *Comitatus Thornenſis*, ab arce *Thorna*, ſic adpellatus. Anguſto is ambitu, ac fere montibus impedito, definitur: quos tamen, pro *Carpathi* ingenio, paſſim naturæ prodigia, inſignes faciunt. In his montem ſuo merito recenſueris, qui inter *Szelicze*, & *Borſua*, vicos adtollitur: non quod mole reliquos antecellat; ſed quod ſpeciem habeat portentoſam, cujus nunc hiſtoria exhibenda eſt.

§. II. *Antrum Szelicenſe* dicimus, a vico *Szelicze* nuncupatum. Situs pago, inter ſylvas ac nemora, collinus ideoque effœtus, cœlum aſperum, aër obtigit frigidus, quem validi ac fere perpetui Aquilones, ex nivoſo celſoque illo *Carpatho*, a Septentrione dejecti, extra modum immitem reddunt, ut muſcis atque culicibus tunc quoque inhoſpitalis ſit, cum tota regione maxime calet. In hujus vici agro, antrum, de quo ſermo eſt, in montem nunc memoratum grandi & obverſo in Aquilonem hiatu dehiſcit: quippe qui, orgyias XVIII. altus, IX. latus eſt, atque ideo accipiendis ac penitus hauriendis Aquilonibus ſic ſatis ido-

neus laxuſque. Profunda antri, & ſubterranei petroſique ſpecus, inexpertis meatibus, in Meridiem abeunt.

§. III. Natura antri id habet prodigii, quod cum extus bruma intenſiſſime riget, tepido ſit intus aere; frigido contra, immo glaciali, cum ſunt fervidiſſimi ſoles. Nimirum, ſimul diffugientibus nivibus, ver inire cœpit, interior antri concameratio, qua ea meridiano ſoli dorſo objicit, aquam limpidam & paſſim diſtillantem exſudat: quæ interni frigoris vi, in pellucidam glaciem concreſcens, ſtirias efficit, ad ingentium doliorum molem craſſas ac pendulas, inque ramos abeuntes, miris illuſos ſpeciebus. Quod aquæ, e ſtiriis, humi arenoſæ decidit, id quoque opinione celerius congelat. Ergo, non fornices modo, natura in ſolidam petram cavati, ſed fundum quoque antri, multa & nitida glacie conveſtitum eſt. Crederes, totam cavernam, e cryſtallo, ſubſtructam incruſtatamque eſſe, ita circumquaque glacies reſplendeſcit.

§. IV. Inuſitatus hic obtutus eo eſt ingredientibus ſpecioſior, quo antri intercapedo & latius abit, & deprimitur profundius. Qua adiri poteſt antrum, quinquaginta orgyiarum profundum, ſex & viginti laxum eſt; concamerationum altitudine, ob tuberoſos rupium arcus, inæquali. Quod ultra demergitur, propter hiatus præcipitium, inexpertos habet receſſus. Neque enim erat adhuc, qui in adeundis antri penetralibus facere voluiſſet periculum, ob lubricos greſſus, & fallentem veſtigia glaciem. Certe enim, inciſis, multo labore, gradibus opus habent, qui vel exploratum profundum illud adire volunt. Erant, qui immiſſa bolide, ſpecus interiora ibant exploratum: verum, quod antrum, non ad putei modum recto tramite,

tramite, ſeu perpendiculariter, deprimitur, ſed varie ſe, & in anfractus ſinuat, inutile fuit experimentum. Plus ii profecerunt, qui ſclopos, ſolide largeque fartos, intra ſpecum diſploſerunt. Adverſum eſt enim, abſorptos intime boatus, per plura temporis minuta, ad modum validiſſimi tonitru, illiſo huc & illuc ſonitu, horrendum quid reboaſſe: quod argumento fuit, profunde antrum propagari, habereque diffuſos quaquaverſum meatus.

§. V. Glaciale iſtud ſpecus ingenium, totum æſtivum eſt: quod ideo admirationis habet plurimum; augeſcit enim cum increſcente ſolis ardore. Primo, nimirum, vere, hibernus ille tepor ceſſare, mox, ubi id adolevit, intendi frigus occipit, tantis acceſſionibus, ut quo magis aër incaleſcit, eo antrum frigeat exquiſitius. At ubi æſtas iniit, jamque fervet Canicula, in glacialem brumam intus abeunt omnia. Tunc ſcilicet, ubertim deſtillantes ex ſpecus fornicibus aquæ, in glaciem ſolidantur, tantis incrementis, ut, qua hodie tenues adparebant ſtiriæ, eæ perendie dolia referant, & quaſi in præceps ruentia petrarum frágmenta. Paſſim, qua guttatim per antri latera, demanat latex, mirificæ viſuntur incruſtationes, & ad tapetum formam, quaſi ex artis præſcripto, fabrefactæ. Reliquum glaciei ita mutuo hæreſcit, prouti æſtus ſub dio ſunt viciſſitudines. Nam, ſi continenter & vehementius caleat, plus glaciei & ſtiriis adcreſcit, & parietibus fundoque antri; ſin calor, quod fit, aut Aquilonibus aut delapſis imbribus temperetur, lentius concreſcunt aquæ, quin & glacies ipſa largius tunc ſudat, & exiles quaſi rivulos quoſdam fundere incipit: dum, incaleſcente iterum cœlo, ad ingenium redeat, glaciale ſpecus temperamentum. Fuere, qui obſervârunt, præ-

ſagire ejus naturam aëris viciſſitudines, ſicuti ſolent barometra. Nam, ſi aër extus immineat fervidior, pluribus ante horis, quam fervor ille adeſt, tenaciore gelu aquæ adſtringuntur in glaciem: quod contra ſe habet, ſi aer ſub dio ingruat frigidior; tunc enim, calidiſſimo adhuc cœlo, dimanare ſenſim glacies incipit.

§. VI. Fit, ex hac antri natura, ut tantum ei ſufficiat, de pellucidiſſima glacie, quantum ne ſexcentæ quidem quadrigæ, in ſingulas hebdomadas oneratæ, poſſint exinanire. Atque habent hoc omnino in more poſitum accolæ, ut cum operis campeſtribus diſtinentur, & aut fœno parando, aut cogendis frugibus, in antri hac vicinia, ſuo ritu, vacant, glaciem hinc promant, eaque aut refrigerent tepentes fontanas, aut ad ſolis æſtum glaciem ipſam in potum liquefaciant: inſigni ſalubritatis opinione; quando putant aquæ iſtud genus & ſtomachum minus onerare, & pronius ſeu per ſudores excerni, ſeu per veſicam: quod proclive eſt omnino ad credendum, in ea aquarum percolatione: qua de re jamjam arguendi erit locus.

§. VII. Sunt vero frigori, intenſiori illi, & remiſſiori, ſuæ per antrum regiones. Ex aprico, jucundus ad ſpecum eſt aditus: quippe auram adflans, Etheſiarum ſimillimam. Mox, ad paſſus aliquot progreſſis, plus inhorreſcere, ac ſi porro pedem proferant, ſubeantque antri propylæon, artus intremiſcere occipiunt, ut neceſſum habeant laxatas forte ſub dio veſtes curatius adſtringere. Inde, in profundum abeuntes frigus excipit brumali ſuppar, ut hi quidem calidiore halitu manus confovere, illi valida artuum commotione, moleſtum, ac fere intolerabile frigus, mitigare debeant.

Quod

Quod eò ſubinde fit intenſius, quo ſe profundius immittunt curioſi ſcrutatores. Sed, gradum referentibus, contraria eveniunt omnia: nam, quo ex imo, pedem efferunt altius, eo frigus eſt remiſſius; dum remittat atque intepeſcat penitus. Poſtea, ubi Canicula deferbuit, jamque in autumnum æſtas deſiit externi aeris habitum ſpecus ſuapte natura ſequitur. Primis nimirum menſibus, & dum noctes ineunt gelidiores, dimanare ſenſim glacies, tunc frigeſcente magis ac magis aëre, & ubi jam glacie extus rivi adſtringuntur, quaſi admotis ignibus, liqueſcere incipit; donec incumbente bruma, nullo poſt ſe relicto veſtigio, prorſus inareſcat. Tunc vero placidus, toti ſpecui, calor inducitur, fitque glaciale illud conditorium perfugio inſectis, & beſtiolis aliis hiemem ægre ferentibus. Nam præter muſcarum & culicum agmina, veſpertilionum item globos, atque noctuarum contubernia, lepores quoque & vulpes hoſpitatum huc concedunt: dum adoleſcente vere iterum redeat ſpecui glaciale illud ingenium. Antri ſuperficies, profunda humo obruta, atque ſoli oppoſita meridiano, ubere ac pingui gramine herbeſcit, eſtque ideo pabulantibus armentis, quin & fœniſcoio, ſi pecus arceatur, opportuna.

§. VIII. Hæc ita ſe habent. Nunc, quemadmodum inſolens antri natura explicanda ſit, paucis videamus. Univerſim, eæ ſunt caloris atque frigoris viciſſitudines, in ſubterraneis, ut certare quaſi mutuo videantur. Nam, cum æſtuat foris aer, frigent cavernarum iſtiuſmodi receſſus; atque tepent iterum, cum extus aëre frigus eſt: id quod, cellæ vinariæ, profundius paulo depreſſæ, quotidiano & vulgari ſatis experimento, condocent. Nempe, ea eſt caloris efficacitas, ut, quum telluri, elemento ex ſe craſſo, humido,

ac

ac frigido, incumbit, nativum ejus frigus interius propulſet, atque in factas arte aut natura ſpecus, coactum, notabiliter condenſet. Quod aliter ſe habet, quando frigus terræ ſuperficiei incubat; prolicit enim, imis viſceribus, conceptum, a quocunque principio, calorem, & qua ſe per cellas aut cavernas diffundere poteſt, aërem efficit tepidum, paſſim etiam eximie calentem. Succurrit, hæc ſcribenti, civium meorum, per Hungariam, campeſtrem illam, & æſtivis ſolibus, extra modum torridam, vini frigefaciendi, vetus conſuetudo. Nempe, cum per vaſtas ſolitudines iter faciunt, aut illic, pro re nata, moras coguntur nectere, neque aut glacies, aut fontana aqua, refrigerando potui ſufficit, ſcrobem, ad duorum fere pedum altitudinem, humi defodiunt: huc demum vinarias lagenas immittunt, atque refoſſa humo, diligenter ac ſolide contegunt: tunc ignem ſubitaneum & luculentum, ſuper eadem illa ſcrobe, in qua vinum eſt conditum, ex ſtramine, fœno aut arundine, componunt; qui ubi ſuapte reſtinctus, aut disjectus eſt conſulto, regeſta calente extus humo, vinum eximunt, non ſecus refrigeratum, quam ſi aquæ glaciali immerſum habuiſſent. Unde vero, vino illi inductum frigus illud? Nimirum, flammarum ille fervor, qui ſuperficiem ſcrobis ſubito concalefecit, nativum terræ frigus, undiquaque condenſatum, lagenæ circumfudit, quod demum vinum pervaſit, fecitque guſtui idoneum.

§. IX. Pronum hinc eſt conjicere, quemadmodum antrum iſtud *Szelizenſe*, nunc glaciali ſit natura, nunc iterum tepeſcente. Caloris extus, in antri ſuperficiem incumbentis, vis & efficacitas, condenſato, terræ atque petrarum, quæ ſubtus in fornices abeunt, nativo frigore, aquas gelidas primum, mox & congelantes,

lantes, efficit: dum refrigerato iterum aëre, proliciatur, imis terræ viſceribus conceptus calor. Hæc, ad eum modum, vulgo in ſenſus incurrunt. Quæ cum adfero, non ideo accedo *Morini* ſententiæ, qua apud *du Hamelium*, terram, uti aërem, in tres diſpertitur regiones; quarum prima, alternis friget & calet; hieme calida, æſtate frigidior, uſque ad cccc hexapedas ſeu orgyias patet. Hanc ſecunda regio, ejuſdem illa opinione, excipit, quam ſemper fervere, ipſe expertum ſe in fodinis Hungaricis ait. Tertiam, jugi frigore tanquam centro terræ, proximam algere conjectat; quemadmodum media aëris regio perpetuo frigida eſt, ac ſuprema, & cœlo finitima, ſemper calet. Hæc, inquam, *Morino* relinquimus, tanquam inexplorata incertaque. Sane, quæ de fodinis Hungaricis, ad regionis ſecundæ perpetuum calorem adferendum, memorat, non ſunt undiquaque vero conſentanea. Nam fodinarum quidem, quas optime cognitas habeo, nulla ad quadringentarum orgyiarum profundum, vix ulla ad ducentas hexapedas, deprimitur, ob erumpentium ſubtus aquarum impedimenta; qui ergo poterat ferventem perpetuo regionem terræ ſecundam, demum infra quadringentas hexapedas, ineuntem, adire? Sunt fodinis ſuæ omnino regiones, tepidæ hic, ferventes alibi, etiam iis locis, quorum profundum ne octoginta quidem orgyias conficit. Sed, ad antri glacialem naturam redeamus.

§. X. Multum, ad eam confert, præter vulgarem, quam adtulimus, cauſſam illam, ab incumbentis caloris vi petitam, ipſa antri poſitio, & concamerationis ingenium. Obverſum eſt nempe ore hiante, frigidiſſimis Aquilonibus, qui a *Scepuſiaco Carpatho*, in has ejus radices immiſſi, & frequentes ſunt, & vernis po-

potiſſimum atque æſtivis menſibus, ultra modum ſæviunt, immo furunt; quodque ex nivoſis montibus illis deruunt, vehunt ſecum gelidiſſimas particulas, quæ demum in os antri illapſæ, & in ejus concavo, quaſi conglomeratæ urgente extus calore, ex facili, deſtillantem aquam pervadunt, inque glaciem adſtringunt. Accedit, habitus concamerationum, quæ totæ e petris, ſolidiſſime invicem compactis, & heic ſubmotis altius, alibi in ruinam quaſi impendentibus, factæ ſunt. Petrarum autem *Carpathi*, plerumque, ſalſa, nitroſa, aluminoſa atque vitriolica eſt natura. Ergo quid eſſe poteſt proclivius, quam glaciem in antro hoc *Szelicenſi*, ex glacialium & dictarum particularum commixtione, ubertim progenerari? Adſentientur nobis, qui artificioſam liquorum congelationem, repetitis ſæpius experimentis, condidicerunt. Nix enim, vel glacies, cum, ſale communi, nitro, aut alumine, aut vitriolo, æqua portione, permixta, & vaſi circumpoſita, aquam vaſe contentam, in glaciem congelat, etiam media æſtate, vel prope ad ignem: ut documenta alia, quæ ſunt in promptu, ſileamus. Hucuſque de antro *Szelicenſi*.

## Caput II.

### *De* Antro Ribarienſi, *Halitus noxios eructante.*

§. I. Letales ſpecus, paſſim, per orbem terrarum obſervârunt veteres, juxta & nuperi ſcriptores. Non eſt inſtituti mei, eorum, vel nomina tantum confectari: fuſe, id genus ſcrobes ſeu antra, & horum halitus, *Georgius Agricola* proſequitur, Libro IV. de Natura eorum, quæ effluunt e terra. Do-

Domeſticum Hungariæ antrum, quod eſt in *Comitatu Zolienſi*, ad vicum *Ribar*, deſcribendum mihi propoſui: partim, ut rem omnem ex vero expromerem, partim ut ſcriptorum detegerem aberrationes. Meminet, antri hujus, laudatus nunc *Agricola*, eodem, quem citavi, loco: *Nec pars Ungariæ*, inquit, *quondam Dacia dicta, libera eſt a peſtilentibus ſpiraculis: quæ a* Neuſohla, *oppido, æris metallis claro, abſunt circiter ſex millia paſſuum, hæc interdum aves, quæ advolârint, & reliquas animantes, quæ acceſſerint, ſolent necare.* Male, *Neoſolium*, Dacia concludi, ſuo loco [a] monui; de peſtilentibus ſpiraculis, quæ accuſat *Agricola*, infra diſpiciam. Ad eum fere modum, *Wernherus*, ejuſdem *Ribarenſis* antri meminit [b], quem jam non eſt opus exſcribere: quippe qui, propoſitum habeam, meas ipſius ἀυλόπλε obſervationes, paucis recenſere.

§. II. *Ribar* vicus eſt *Comitatus Zolienſis*, ſeſquimilliari, ſecundo amne *Grano*, Neoſolio, in meridiem repreſſus: quem loco [c] nunc citato, memoravimus. In hujus agro, collina in orientem poſitione, *Thermæ* ſcatent, exquiſitæ quidem ſalubritatis; ſed ingenii admirabilis: quas jam non vacat expromere. A thermarum iſtis ſcatebris, ſexcentis circiter paſſibus, ad ſolem meridianum, ſpecus hæc, obnoxios, quos eructat, halitus, jam pridem infamis, in lætæ valliculæ, exiguo quodam, ſed graminoſo prato, ſe adaperit, habetque vicinum fontem acidum, ad potandum, ſic

---

[a] Notitiæ Hung. Novæ Tomo II. in Hiſtoria Comitatus Zolienſis, Parte Gen. Memb. I. §. XII. p. 396.

[b] De Admirandis Hung. Aquis; & hunc ſequuti, innumeri alii.

[c] Tomo II. p. 504. num. 22.

ſatis idoneum. Olim, dum incurioſior iſtiuſmodi portentorum ætas fuit, vix erat quiſquam, qui animum advertiſſet, ad ſcrobis inuſitatæ ingenium. Ergo, ſibi quaſi relicta, & dumis circumdata, raro, aut nunquam adibatur. Fuit vero tunc, ad fontis modum, aquas ubertim eructantis, comparata, quæ, altius ſalientes non ſecus, circumquaque dimanabant, quam id in ſilanis fieri advertas; ubi aqua ex fuſore, in cadum ſaliens, iterum defluit, dum meatus arte factos, ſubeat. Aquæ indoles, lapideſcens fuit: quippe longo adfluxu, tophum generans, in eam ſenſim molem, circa os fontis excreſcentem, ut collis poſtea ſpeciem retulerit: quo quidem, tophacei lapidis incremento, ipſa demum ſcaturigo, adobruta eſt; quando nequibat latex ad ſumma fontis labra, ſicuti fiebat antea, bulliendo proſilire. Acceſſit, ruſticorum, fontis præfocandi ſtudium, ne eſſet, quod jumentis ſuis metuerent poſtea.

§. III. Hic vetus ſcrobis an fontis habitus fuit, cujus veſtigium, adparet hodieque, in meridionale prati latus, ad ſilvoſi collis pedem, reductum. Poſtea, cum ſubterraneæ atque uberes aquarum venæ, occultis meatibus, e nupero eo fonte, dimanarent, factum eſt, ut reſolutam humum, proxime ad priſtinam illam ſcaturiginem, ſubrucrent, atque dehiſcente prato, novum hiatum aperirent. Hic demum, noxios illos halitus eructare iterum, & cum avibus, tum alii animantium generi, exitialis eſſe cœpit. Advertere agreſtes accolæ, non cavernam tantum, fatiſcente humo, loco antehac continenti, recenter factum, ſed perniciabiles etiam ejus exſpirationes; quando, nunc aves enectas, nunc proſtratas feras, ultimo, paſcentia iſthuc jumenta, ſubito exanimata, reperiebant.

Dici

Dici nequit, quantis exſecrationibus inviſam ſpecum, ruſtica plebs, inſectata ſit: tamquam, quæ ab irato numine, depreſſa, toti illi agro perniciem, ſibi exitium, aut jamjam minaretur, aut portenderet in poſterum. Oſtenti fama late didita, Avernum hi, Orcum illi, alii, hiatum M. Curtii facinore, expiandum, conclamabant. Dehiſcebat vero caverna, ad infundibuli ſpeciem, cujus ſuprema circum labra, ad calicis modum, laxe & in longum diducta, (erant enim viginti quatuor paſſuum longa, lata duodecim) in arctum ſenſim coibant, dum in anguſtum foramen, imo fundo, deſinerent, per quod noxius ille halitus erumperet. Aquarum certe ſubterlabentium ſtreperum murmur exauditur adhuc, ut pronum ſit conjectatu, undoſum eſſe oportere rivum, qui per cœcos iſtos meatus fertur, hauriturque demum incertis gurgitibus. Neque enim uſquam erumpit in apricum, tametſi, prona, in vallem declivitas, modico a ſcrobe intervallo, ineat.

§. IV. Inſolens hoc cavernæ ingenium, uti penitus indagarem, non unam, inde ab Anno MDCCVIII. viam inii. Et primo quidem, cum amico, naturæ curioſo, pullum gallinaceum, bene adultum, haſtili alligatum, ſupra os ſpecus ita protendi, ut ferire eum debuerint erumpentes ex imo halitus. Vix vero, haſtile, ad ſpecum, cum pullo admoveram, cum miſer ille, alas complodere cœpit, momentoque exſpiravit. Secuimus enectum ita pullum, ut obſervaremus quid virulentæ rei fuerit, quod eum tam ſubito exanimârit? Sed nihil quidquam deprehendimus, quam reſtagnantem in præcordiis ſanguinem, ceteroquin ab omni labe alia intemeratum. Tunc, ipſus ego, exſectis prius in humo gradibus, in ſcrobem me immiſi, ut micantem intus aquam propius contemplarer; ſed

ante pes erat referendus, quam penitius deſcendiſſem; eo quod, ex halituum adflatu, & pectus præfocari cœpit, & caput tentari vertigine. Illud mirabile viſum eſt, quod vapores cavernæ, & cum maxime noxii ſunt adverſi, nihil nebuloſi aut craſſi, quodque notabiliter in oculos incurriſſet, referrent: purus ei ſemper & limpidus aër incubat: quod aliter ſe habuit in Plutoneo, cujus Strabo atque Plinius meminere. Ergo experiundum rebamur, quid hoc ſit exſpirationum, quod, cum oculis notari haud poſſit, citam adeo mortem animantibus acceleret. Succurrebat, vix re alia naturam earum explorari poſſe, quam longiori & capaci fiſtula, ſclopum vocant, pyrio infarta pulvere, intra ſpecus intima, diſploſa. Id ut factum eſt, intonuit caverna, & quaſi fremitu edito, conceptum interne fumum, pluribus poſtea horis, jucundo ſpectaculo, eructabat. Cepimus proinde, ex hoc phænomeno, argumentum, immiſſas, diſploſione illa, in antrum, flammas, ſulphuroſas intus exhalationes, incendiſſe, quæ huc & illuc rotatæ, diutius poſtea in auras exſpirabant. Atque fuerunt ſane fœtoris eximie ſulphuroſi, prorſus ad eum modum, qualis tempeſtate ingruente, in thermis obſervatus a me eſt: qua de re infra.

§. V. Sulphureo iſto halitu obſervato, facile fuit ad exiſtimandum, quidquid perniciabilis noxæ ineſt, exſpirationibus illis, ſulphuri id adtribui oportere, volatili ei, & ultra omnem modum ſubtili. Itaque, dedimus operam, ut hauſtas ex caverna letifera aquas, firmando experimento, poſſemus ſollicitius adhibere. Incendit eam cupiditatem, avicularum enectarum, & paſſim circa ſpecum jacentium frequentia: vix enim unquam, ſeu mane, ſeu a prandiis, ad orcum hunc

acce-

accedebamus, quin nova reperiremus funera. Inprimis, Erinaceus, nos adtentos fecit, qui eodem cacoëthe ſuffocatus, unius noctis intervallo, adeo intumuit, ut diſtenta cute, ſpinæ ſimul, firmiſſime alioquin hæreſcentes, radicitus eliſæ conſpicerentur: quod quidem ſuſpicandi locum præbuit, annon forte beſtiola, non halitus tantum cavernæ imbiberit, ſed & aquas ipſas, quæ interne magno niſu ebulliunt, & eodem iterum hiatu, ceu gurgite quodam, abſorbentur denuo. Pulmones certe erinacei, livido colore tincti, quin & viſcera reliqua, ultra ſolitam molem diſtenta, indicio fuerunt, & laticem guſtâſſe, & halitus noxios penitus bibiſſe beſtiam, jam tum, grave quid ac moleſtum, redolentem. Proinde, aquam, ex profundo eo cavernæ gurgite haurimus; haud, ſine famuli, quem pronum in caput, ſed funibus religatum, immiſeramus, periculo. Fuit ea limpiditate pluſquam cryſtallina, levis adhæc, & quaſi ætherea, odoris modice ſulphuroſi, ſaporis acidiuſculi quidem & modice acris, ſed haud tamen, ſeu linguam, ſeu palatum adrodentis. Nempe, ad ingenium acidularum, quas vicinas habet caverna, proxime ſunt viſæ accedere. Timidius primum, laticem ſuſpectum, & extremis tantum labris guſtabamus, dum, alter alterius exemplo factus audentior, modicos primum hauſtus, mox largiores etiam, nihil dubitaremus facere. Neque cuiquam, tametſi plerique noſtrum, delicatioris, & ex thermarum uſu, etiam faſtidioſi fuerint ventriculi, noxia fuit ea curioſitas; quin erant, qui aqua ea, vinum Hungaricum, generoſum illud, miſcere poſſe optarent.

§. VI. Iſta ſic, & ex vero, plurium annorum curis adhibitis obſervavimus; ut ferri hinc poſſit judicium, rectene, ab *Agricola*, & *Wernhero*, peſtilentes ſpecus hujatis

hujatis exſpirationes, adpellentur. Nuperus ſcriptor, virus omne, vel a terræ putredine, vel a ſtagnantis neſcio cujus humoris, vitioſitate, provenire, audaciter exiſtimat: quas opinationes ſingulas, jam excutiamus. Et primo quidem, tametſi letales ſint cavernæ hujus halitus, peſtilentes certe non ſunt: quippe qui, non ob congenitum, & quod ſecum veherent, virus enecant animantia; ſed ex cauſis aliis, quas mox indicabimus. Enimvero, ſi peſtilentiales eſſent exſpirationes illæ, aquæ bibi, multo minus, enecta halitibus iſtis animalcula, uti ſunt galli gallinacei, turdi, palumbes, ac lepuſculi comedi, ſine vitæ, ſaltem melioris valetudinis jactura, poſſent: quod faciunt tamen procul omni noxa, qui rei inuſitatæ faciunt experimentum, dum in thermis hujatibus, aut animi aut ſalubritatis cauſſa, lavant. Sed terræ forte putredo, aut ſtagnantis cujuſcunque humoris vitium, exitiales illos ructus exſpirant. At horum profecto neutrum eſt. Nam, ſi hoc admittas; halitus cavernæ craſſos, atque nebuloſos; aquam contra turbidam & moleſtum quiddam ſapientem eſſe oportebit: quam tamen limpidam, ſaporis adhæc, non putridi, ſed ſubacidi; vapores præterea, ita comparatos eſſe diximus, ut oculis cerni obſervarique haud poſſint. Ergo a ſubtiliſſimi copia ſulphuris, & mineralium admixtis halitibus, qui per ſubterraneos eos meatus, una cum aquis, præcipiti ac ſtrepero lapſu feruntur, exſpirationum earum letalis noxietas arceſſi debet: non quod ſuapte natura ſint exitiales; ſed quod nimia illa ſubtilitas, completis ſubito pulmonum bronchiis, præcluſoque neceſſario ad reſpirandum aëre, adeoque præfocato illic ſanguine, ictu oculi, & ante enecent animantia, quam id exiſtimari poteſt. Qui aliter de re tota ſentiunt, & ipſi errant,

errant, & in errorem inducunt alios; cavernæ autem infamiam conſtant, nulla alia ratione expungendam, quam ſi hac noſtra obſervatione, ad erroris confeſſionem, inducti, palinodiam cecinerint.

§. VII. Ceteroquin, de ſulphuroſo iſthoc exſpirationum cavernæ noſtræ ingenio, & inde capi poteſt indicium, quod thermæ adſitæ, ejuſdem ſint naturæ; tametſi craſſiorum halituum, & qui, nunc ſunt intenſiores, nunc remiſſiores iterum: quemadmodum ſcilicet, cœli aëriſque habitus eſt, quo in calidas illas, ſingularis prorſus eſſe conſuevit influxus. Nempe, ſi fervente aëre, in tempeſtatem pronum ſit cœlum, thermæ nunquam non ſulphur redolentes, ultra omnem modum ſulphuroſum quid fœtere incipiunt, fiuntque lavantibus non moleſtæ tantum, ſed etiam intolerabiles, immo letales; tunc maxime, cum, aquis per emiſſarium ex lavacro ſubductis, recentes iterum ebulliunt. Vidi equidem, virum robuſtum ac militarem ætate adhuc firma, cum ingruente, horis poſtmeridianis, graviore tempeſtate, in thermas lavaturus ſe immiſiſſet, ſuſtinuiſſetque aliquantiſper ſulphuroſos, qui tunc ex more invaluerunt, halitus, lymphato ſimilem, ex lavacro proſiliiſſe, conceptaque inde febri acuta, quatriduo poſt, mortem ſuam obiiſſe. Neſcio autem, etiamne, tempeſtatum his viciſſitudinibus caverna, de qua agimus, ſit obnoxia: neque enim, quod dolendum, ita fui curioſus, ut & hoc momentum, reliquis experimentis, curatius, ſicuti meruit, adjunxiſſem. Illud conſtat, cœlo etiam ſudo, & cum nulla in aëre eſt tempeſtatis ſuſpicio, variare halituum noxiam efficacitatem illam; & nunc celerius enecare admota animalcula, nunc iterum lentius: quandoque ceſſare penitus, & quaſi ingenium ſuum deſerere: in

cujus

cujus tamen rei cauſſas, neque ipſus ego indagavi, neque memini, amicos unquam indagaviſſe. Jam, ita ſarmentis cavernam obruerunt accolæ, ut vix adiri poſſit amplius. Quin & avicularum funera rariora ſunt hodie, quam fuerunt olim: quod equidem profundius, quam antea, manantibus aquis adtribuerim. Hæc de his, hactenus.

---

## IV. *An Account of a very extraordinary* Tumour *in the Knee of a Perſon, whoſe Leg was taken off by Mr.* Jer. Peirce, *Surgeon at* Bath; *communicated in a Letter to Dr.* Mead, *Phyſician to His* MAJESTY, *and Fellow of the* College of Phyſicians, *and of the* Royal Society, London.

*SIR,* *Bath, June* 11. 1737.

AS no one has been more converſant with the ſurpriſing Diſorders to which Men are liable, or takes a greater Pleaſure in their Relief, than yourſelf, ſo I flatter myſelf the following Caſe cannot fail of being acceptable to you.

*William Hedges* of *Stratton* in *Somerſetſhire*, a Farmer's Son, of 25 Years of Age, of a muſcular healthy Habit, having never known any kind of Diſeaſe; about eight Years ſince firſt obſerved a ſmall Swelling on his Right Leg near the ſuperior Epiphyſis of the *Tibia*, which (to uſe his own Terms) he called a Splint, about the Bigneſs of a ſplit Horſe-bean. As he was not conſcious of any Bruiſe on the Part, and as